

perferbere: sic ut ei quod amicis tribueret, nihil crederes temporis super-
fuisse. Neque tamen vidimus ullum civis urbani officium ab eo negligi,
ullum veterem amicum aut necessarium segnius observari. Nimirum adeo
mitis erat & facilis, ut non amicos modo & necessarios, verum & ignotos
& infimae sortis homines perinde ad se admissos affabili colloquio exciperet,
verbis humanissimis permulceret, & quantum fieri per ipsum causamve ho-
minum poterat, adjuvaret. Nihilofecius in Jure dicundo si quos deprehendisset
nefarii maleficii reos, nihil sensimus eum de justitia remittere, sed severe
adeo & pro meritis improbe delinquentes excipere. Memorabile in primis
mihi videtur quod factum ab eo in Praetura est. Nam cum certis indicibus com-
perisset, aëroscatores quosdam Judaeos ex nummis accidendis & minuendis
quaestum facere, rem quodammodo novam, sed ad detegendas tum fraudes
vix penetrabiles hominum ad celandam nequitiam arte quasi instructorum,
pernecessariam excogitavit, ut de improvviso apparitores suos ad præcipuos hu-
jus argentariae artis magistros mitteret tabulasque expensorum & acceptorum
dari aut vi extorqueri juberet. Ita patefacto flagitio magnam vim pecuniae,
multae loco exactam à reis, in aerarium reipublicae intulit, simul coercuit frau-
des hominum & civitati & generi humano noxiorum, & commerciorum fi-
dem antiquam restituit.

Tam bene functus officio Senatoris & Judicis meruit, ut recens adeo à
Praetura, Consulatu non indignus haberetur, atque loco meritissimi de Repu-
blica Consul HENRICI DIETERICI WIESE, J. U. L. anno 1728. d. 11. Fe-
bruarii forte eligeretur. Neque vero alium sed eundem hoc in honoris amplif-
simo gradu invenimus RULANTUM; non dignitas major, non auctoritas,
non aetas potuerunt vel comitati ejus supercilium inducere, vel relaxare dili-
gentiam, vel incorruptae justitiae insidias struere; quin omnibus hisce virtuti-
bus decus insigne à Consulatu & splendor accessit. Placuit autem B. Consuli
curas senectutis & vitae solitariae, per quinque & triginta annos toleratae, in-
gravefcentes forte cum aetate, sub extremum fallere novo conjugio; invenit-
que, in cujus sua sollicitudine tunc deponeret, in cujus blanda societate senec-
tus acquiesceret, Virginem Nobilissimam CORNELIAM, jam laudati Con-
sulis WIESII, Decessoris sui, & CORNELIAE ROTENBURGIAE Filiam,
eum qua matrimonium contraxit anno 1735. d. 28. Junii, quamque nunc re-
liquit Viduam moestissimam, omni genere felicitatis, quae moerorem hunc
excipere potest, merito dignam. Ita Vir Beatus sensum aegritudinis dolo-
rumque corporis, quem praecipitata jam aetas afferebat, hinc dulcedine familia-
ritatis domesticae, hinc publici muneris strenua functione, vel elusit vel miti-
gavit. Tandem vero debilitate virium & difficultate respirandi seu oppressio-
ne pectoris, qui fere solent morbi esse senum, B. Consul d. 22. Novembr. no-
bis ereptus est, annos natus septem & septuaginta decemque menses.

Faxit Deus immortalis, ut nunquam desint nobis Viri Amplissimi &
Magnifici simili studio indefesso Patriae accensi, faxit ut qui jam praesunt Rei-
publicae, aut in posterum ad eandem accedent, similem aetatem, rebus pri-
vatis publicisque juxta florentibus, attingant aut supergrediantur.



Hist. Germ.
Biogr.
207, 88